

A solis ortu usque ad occasum, \* laudabile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, \* et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, \* et humilia réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, \* et de stércore érigens páuperem :

Ut collocet eum cum principib⁹, \* cum principib⁹ populi sui.

Qui habitare facit stérilem in domo, \* matrem filiorum lætántem.

#### Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locutus sum : \* ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: \* Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, \* pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : \* et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni populo ejus : \* pretiosa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : \* ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : \* tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis populi ejus : \* in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

#### Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitatē Sion : \* facti sumus sicut consolati :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : \* et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes: \* Magnificávit Dóminus facere cum eis.

Magnificávit Dóminus facere nobiscum : \* facti sumus lætantes.

Convérite Dómine captivitatē nostram, \* sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, \* in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, \* mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, \* portántes manípulos suos.